

A ea terra à Deo fuerat olim promissa. Ea hæreditas nondum plenè cesserat Israëlì, obstantibus hætenus illius peccatis, vsq; ad regnum Dauidis, atq; ideo tum primum videbatur exauditis populi votis integrè dari. De rege verò Dauide canit vers. 6 & 7. dicens: *Dies super dies regis adjicies, annos eius generationi ac generationi æquabis*: id est, longæuos facies. *Sedebit*: hoc est, regnabit in seculum in cōspectu Dei. Ita verbum *sedendi* etiam de Deo sumitur: *Et sedebit Dominus rex in æternum*: id est, regnabit in æternum. Sic *sedes* pro regno accipitur Luc. 1: *Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris sui, &c.* Bonitas ac fides custodient illum. in Ebræo est adiectum *וַיִּד* id est, *Para*, quasi dicant, *Para* tam illi exhibe bonitatem ac fidem, quæ custodiant eum.

Habitabo in tabernaculo tuo.] Notandum hîc est, quibus metaphoris ac similibus protectionem Dei commendet. Primum vers. 3. vocauit eam *turrim robustam*, ad quam vndique in tumultu bellico à facie inimicorum fugitur. Sic alibi Salomon: *Turris fortissima nomen Domini*: ad illam confugit iustus, & seruatur. Deinde versu 4. vocat eam *tabernaculum Dei*, in quo scilicet sit summa securitas ab irruptione hostili. Tertio eodem versu comparat eam *alis gallinæ*, sub quarum velamento refugium & conseruatio pullorum est. quo simili vsus est Propheta & supra Psal. 57. versu primo.

Dies super dies regis adjicies.] De diurnitate regis, vide supra Psal. 21. ibi: *Vitam petijt abs te, & tribuisti ei longitudinem dierum, &c.* Hîc notandum est quòd dicit: *Bonitas ac fides custodient eum*. quibus verbis admonemur, vnde constet salus regis, nempe ex bonitate ac fide Dei. Nec absurdum fuerit, si intelligamus de bonitate ac fide regis. Illis nanq; non malè stabilitur & regni & vitæ regis diurnitas: primum quòd per eas Deo placet rex, deinde & populo gratus redditur, illiusq; corà Deo precibus fruitur. Verùm fit aliquando, vt propter peccata populi diu viuat tyrannus, cuius exitium esset, si populus pœnitentia & humilitate iram Dei flecteret. Iam verò postquam omnia sunt corrupta, merito peccatorum nostrorum fit, vt qui tyrannidem agunt, diurni sint, vel certè succedentibus crudelioribus excipiantur.

TERTIA PARS.

Ista Psalmum perpetuæ laudis pollicitatione concludit, dicens: *Si psallam nomini tuo in sempiternum, hoc est: Ad hunc modum, ista de nomine tuo prædicans & canens, laudabo te in sempiternum.* Deinde, vt ostendat: eam se laudem nomini Dei ex votis debere quotidie, subiungit: *Vt reddam vota mea quotidie.* Indicat enim se id ita cum in angustijs esset, precando vouisse. Notandum est de votis hoc loco, quomodo illis duo dentur. Supra versu 3. dixit: *Quoniam tu Deus audisti vota mea.* Ergo vota priorum primum diuini nominis inuocationem in se comprehendunt. Talia sunt, quæ à Pontificijs ad sanctos fiunt, quibus ambiunt aliquid. Deinde hîc subdit: *Vt reddam vota mea quotidie*: intelligens promissam laudem diuini nominis, pro gratiarum actione. Ergo in votis est etiam gratiarum actio. Hæc duo seruanda essent & hodie, primum vt inuocando opem Dei voueretur aliquid, deinde illud & præstaretur. Iam nescio quomodo fiat, vt hoc genus votorum profus exoleuerit in Ecclesia Christi.

Hætenus Psalmum exposuimus secundum rationem typi: qui fuit in populo & regno Dauidis. **B** A typo verò exurgendum est ad ipsam veritatem regni ac populi Christi, cuius regnum sempiternum, anni ac dies perpetui, prosperitas summa & æterna est, de quo verius dicitur illud: *Sedebit in seculum in cōspectu Dei.* Quemadmodum itaq; Israëlìs populus gloriatus est in bonitate ac veritate Dei, in Dauide sibi declarata, & regni diurnitatem sibi pollicitus est cum magna fiducia, vt vt vndiq; ingruerent Dauidis hostes: ita, imò multo amplius nos in ea bonitate ac veritate Dei, quam in Christo omnium seruatore, vnigenito suo, erga credentes Euangelio declarauit, gloriabimur, certissimi de regni illius perpetuitate & prosperitate, in quò tutò in sempiternum quiescere, & eterno gaudio potiri liceat, quiduis moliatur infernus, & vniuersus hic Mundus.

PSALMVS LXII.

AD PRAECINENDVM, PRO IDVTHVN, PSALMVS DAVIDIS.

ARGVMENTVM PSALMI.

Vnicus huius Psalmi scopus est, vt in quibusuis rebus aduersis, omnis spes in vnum Deum collocetur, nec quisquam vel in homines qualescunq; vel in calumniam & violentiam, vel in diuitias fiduciã habeat, eò quòd hæc omnia sint vana: Deus verò solus habeat & potentiam, vt possit: & bonitatem, vt velit saluare.

Dispositio pariter & expositio Psalmi.

Nihil habet hic Psalmus obscuri, quod aliqua opus habeat declaratione. Omnia sunt aperta intellectui, modò per gratiam Dei & facilia reddantur cordis affectibus. Potest diu di in quatuor partes. 1. Prima habet priores duos versus, quibus animi sui erga Deum fiduciã exprimit. 2. Altera 3. & 4. vers. amentiam opprobrat hostibus, qua perpetuò frustra in fonti insidiabantur. deinde & interitum minatur, & reprobos, vanos & subdolos conatus obijcit. 3. Tertia, animam suam adhortatur, vt Deum expectet: quod facit versibus 5. 6. 7. 4. Quarta, populum Dei per apostrophen alloquitur, vt fiduciã suã nec in homines, nec in calumniam ac violentiam, nec in diuitias, eò quòd hæc omnia sint vana: sed in Deum collocet, de quo audierit, quòd & robur & bonitatem habeat, vt vnicuiq; iuxta factum suum repèdere & possit & velit.

N 2 DEVM

OBS. I.

Proverb. 18.

OBS. 2.

OBSER.

Plato in Euthyphrone: Vouere, est à Deo aliquid petere.

De Christo.